





1773  
1779  
3, 470.  
1771, 3  
M

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
TESTAMENTO  
NVLLO INSEQVITA HEREDVM  
AB INTESTATO ADPROBATIONE  
NVNQVAM IN FORMAM TESTAMENTI  
VALIDI RECONVALESCENTE

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDIO  
D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII  
IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS

PRO LICENTIA  
SVM MOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI  
HONORES

AD D. XXX DECEMBR. CIOIOCCCLXXI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETI  
PVBLICE ERVDITORVM DISQVISIONI  
S V B M I T T I T

AVCTOR  
GEORGIVS FRIDERICVS MAACK  
HAMBURGENSIS

HELMSTADII  
LITTERIS VIDVAE P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

PRESENTATION OF THE

F. F. S. T. A. M. E. N. T. O. N.  
N. V. L. O. P. R. O. V. A. T. A. H. E. R. E. D. Y. A.  
A. B. I. N. T. E. S. T. A. T. O. A. D. D. R. E. S. S. I. O. N. E.  
I. N. V. I. T. A. M. E. N. T. O. N. E. T. E. R. M. I. N. I.  
V. A. L. I. D. I. R. E. C. O. V. A. L. I. S. M. I. T.

H. A. L. T. E. R. A. T. I. O. N. E. S.  
P. R. A. E. S. I. D. I. O.  
B. A. L. D. E. R. T. F. R. I. D. R. I. C. H. S. M. A. S. S. A. R.

T. R. O. P. I. C. A.  
S. Y. N. O. S. I. S. T. A. T. I. C. A.  
M. O. N. A. C. H. A. S. T. R. A. T. I. C. A.  
A. B. B. E. L. L. E. N. T. I. S. C. I. T. A. T. I. O. N. E.  
I. N. T. E. R. N. A. T. I. O. N. A. L. I. S. M. I. T. A.  
S. T. A. T. I. S. T. I. C. A.  
A. M. E. R. I. C. A.

G. E. O. R. G. I. U. S. F. R. I. D. R. I. C. H. S. M. A. S. S. A. R.  
H. A. N. N. O. V. I. T. A. T. I. O. N. E.  
H. E. I. M. S. T. A. D. I. U. M.  
L. I. T. T. E. R. A. T. I. O. N. E.



LIBERAE  
SACRI ROMANO GERMANICI IMPERII  
REIPUBLICAE  
HAMBURGENSIS  
CONSULIBVS  
SYNDICIS

TOTIQUE

SENATORIO ORDINI

VIRIS

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS,  
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,  
PRVDENTISSIMIS

PATRIAE PATRIBVS

PATRONIS

SVM MOPERE COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM

OBSEQUIOSAE DEVOTIONIS

TESTEM

QVA DECET OBSERVANTIA

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQUIOSISSIMVS  
G. F. MAACK.

131773  
1779

I

---

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
TESTAMENTO NVLLO INSEQVITA  
HEREDVM AB INSTESTATO  
ADPROBATIONE NVNQVAM IN  
FORMAM TESTAMENTI VALIDI  
RECONVALESCENTE

---

**Q**uo vehementiori desiderio, sine vlllo of-  
fensionis cursu, semper viuendi natura  
omnes tenemur: eo magis vnumquemuis  
rerum magistra, experientia, edocet, im-  
minere aliquando tempus, quo cheu

*Linquenda tellus, et domus, et placens  
Vxor: neque harum, quas colis, arborum,  
Te, praeter inuisos cupressos,  
Vlla breuem dominum sequetur a).*

Hominis, suae tantum rationi relictæ, mens, fugaces an-  
nos cogitans, fragilitatis solatium exinde vtplurimum ca-

A

pere

a) HORATIVS *Carm. II. Od. XIV.*

pere solet, quod prius, quam corporis exsoluatur vinculis, fluxa haec ac terrena curet; dignissimos quaerat, inter quos sua diuidat; aut saltem incorrupto iudicio prospiciat, ne male pereant, quae bene parta esse putauit. Perpauci enim sunt, atque fuerunt, quibus arri-deret istud EPICURI, nihil post mortem ad nos pertinere. Ipse hic philosophus, paullo remissior, exemplo suo comprobauit, non aliud esse solatium mortis, quam voluntatem ultra mortem; imo graue videri patrimonium, si de eo disponendi facultas auferatur ex hac vita exeuntibus, qua viui tamen gaudebant b). Igitur si recte ponimus calculum: constitutis ciuitatibus, praesides rerum publicarum ea propter indulerunt testamentifactionem, vt et morientes, et de mortalitate sua cogitantes, id qualecunque solatium haberent, vt dominium rerum, sudore vigiliisque acqvisitarum, e sola ipsorum voluntate esset aeternum ac propagandum in heredes, heredumque heredes. Quibus circumspicis deserendam esse, ecquis negaret? sententiam eruditorum, qui natales testamentorum referunt ad ius naturae et gentium, ipsamque rationem omnibus peraeque hominibus dedisse, arbitrantur, ius vltimo elogio de rebus suis disponendi c). Ne quis vero

b) Igitur CICERO, scholae EPICURI plerumque infensus, in eum inuehitur, ac ipsius testamentum non modo a philosophi grauitate, sed etiam ab ipsius sententia discrepans esse dicit. Vid. CIC. L. II. Cap. XXXI., de *Fin. bon. et mal.*

c) Ita sentiunt H. GROTIUS de *Iur.*



vero suprema mortalium iudicia, ex animi sententia, facta esse negaret, aut ea propter exceptione friuola praetori facesseret negotium, voluerunt legumlatores, vt non, nisi adhibendis quibusdam solemnitatibus, conderentur testamenta. Quid? quod iidem edixerunt, vt, ommissis solemnitatibus, heredes scripti a defuncti bonis arcerentur, depellerenturque omni successione spe. Accidere vero quandoque, videmus, vt, tamen si vitia testamentorum ita sint comparata, vt non facile iudicum oculos effugere queant: nihilominus illi, quos ius scriptum ad successionem tunc vocat, vltima morientium elogio nulla religiose obseruent d), eaque adprobantes ostendant, sibi ad palatum esse cantilenam e),

A 2

Sed

*Iur. Bell. et Pac. Cap. VI. §. 14.*  
 I. NIC. HERTIVS de *Social. prim. iur. nat. princ.* Sect. III., §. 20., H. CHR. de SENCKENBERG de *Testam. Publ. Orig.*, Cap. I., §. 5. sq.; IOH. BARBEYRACIVS *Not. ad PVFENDORFFIVM L. IV., C. X., §. IV. p. 566.*, IS. CANTZIVS *Disc. mor. Disc. III., P. II., Sect. II. Cap. III., §. 1832. sq.*  
 At argumentis non contemnendis hanc sententiam reiecerunt ANT. FABER de *Error. Pragm. Dec. 36., Err. 2.*, EDM. MERILLIVS *Obs. L. VI. Cap. XXV.*, SAM. de PVFEN-

DORFF de *Iur. Nat. et Gent. L. IV., C. X., §. 4.*, I. G. HEINNECCIUS tam in *Elem. Iur. Nat. et Gent.*, §. 268., quam in *diff. de Testam. Iur. Germ. arct. limit. circumsc. §. 3.*, GOTTL. SAM. TREVERVS *Ann. ad PVFENDORFFIVM de Offic. Hom. et Ciu. p. 293.*

- d) Vid. *Petr. Crinitus de Poet. lat. L. III., C. 37., p. m. 447.*  
 e) Exemplum sibi Vir Magnus, de patria optime meritus, KLEFECKER in lib. aureo, cui titulus *Sammlung der Hamburg. Gesetzen und Verfassungen 4ter Theil p. 387.*

*Sed legum est seruanda fides: suprema voluntas  
Quod mandat, fierique iubet, parere, necesse est.*

Igitur non mirum est, si audias, saepius et in foro, et in scholis, agitatum fuisse quaestionem, *num testamentum nullum, subsequuta heredum ab intestato adprobatione, in formam testamenti validi reconualesceret?* Hanc quaestionem, speciminis inauguralis loco, quantum per virium mearum tenuitatem fieri poterit, paullo curatius examinare, operae pretium esse, duxi. Nullus enim, quantum egomet quidem scio, hoc problema stilo vberiori adumbravit, licet, ab eruditis doctrinam de testamentis tot commentariis illustratam esse, sciamus, ut lucem soli accendere videatur, qui huic doctrinae addere aliquid in mentem induxerit.

I

DESCRIBITVR TESTAMENTVM IN GENERE, AC  
SPECIATIM NVLLVM

In eruenda testamenti notione MODESTINVM for-  
tasse sequeretur, qui id definit f) *voluntatis nostrae iustam  
sententiam de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, ni-  
si rem penitius considerans intellexisset, nimis late con-  
ceptam*

f) Obuia est L. I. D. qui testam.  
fac. poss. Eam aduersus erudi-  
torum obiectiones defendit  
G. CHR. GEBAVERVS in

praefatione ad ALB. DIET.  
TRECKELII tr. de Orig. et  
Progr. Testam. ap. Rom.

ceptam videri, ac in codicillos etiam quadrare hanc definitionem. Igitur si rem e iuris romani principiis metimur: testamentum dicendum erit *lex priuati hominis, qua et heredem instituit, et iubet, quod post mortem suam fieri cupit.*

Vt in data finitione generis loco ponerem verba *lex priuati*, me hoc imprimis mouerat, quod, quum omnis successio iure Quiritium esset legitima, ea non nisi noua lege mutari potuisset g). Hinc non modo ad excludendos agnatos gentilesque, quos iura vocabant ad successiorem, testamenta non secus ac quaeuis aliae leges apud populum romanum, comitiis calatis, praemissa solemnii oratione, condebantur, ac testatores formulis legislatorum utebantur h). Quid? quod ipse diuus IUSTINIANVS, dum de testamenti libertate loquitur, in haec erumpebat verba i), *disponat vnusquisque super suis, vt dignum est, et sit lex eius voluntas.* Quo Imperatoris elogio nihil melius, me hercule! excogitari potest, quod magis conducatur ad excusandum finitionis datae genus. Esse autem testatoris, docet definitio, vt hac sua lege *instituat heredem.* Sicuti enim non prius olim testator dicere poterat, quod post mortem fieri vellet, quam instituerat

A 3

heredem

g) Edocuit id CORN. VAN BYNCKERSHOECK in *Obs. Jur. Rom. L. II., C. II., p. 37.*, edit. B. PH. VICAT.

h) Enoluas, praeter I. G. HEI-

NECCII *Synt. Jur. Rom. L. II., T. X., §. 2.*, CHR. THOMASTI *diff. de Prim. Init. Succ. testam. ap. Romanos §. 9. sq.*

i) *Novell. XXII., Cap. II.*

heredem k): ita etiam testamentum proprie dictum non adest, quando in ultimo elogio desideratur heres institutus. Verba definitionis, quod *quis post mortem suam fieri cupit*, lata nimis ac veluti vaga adfirmabis, quoniam heredis institutione testamenta distinguuntur a codicillis. At secus senties, si modo rem paullo penitius ponderabis. Sunt enim, ecquis nescit? sunt, inquam, testatores, praeter heredis institutionem, primum supremis elogiis de funere suo solliciti, ut illa l)

*Anus improba, Thebis,  
Ex testamento sic est elata: cadaver,  
Vinctum oleo largo nudis bumeris tulit heres.*

Atque quem quaeso fugit, testatores tunc imprimis torquere sua iudicia, quando sententia omnium suprema componunt et plura alia, quae ab herede fieri cupiunt. Ita, liceat finitionis nostrae illustrandae ergo adponere exempla, ita non raro senex decrepitus, in cuius domo dicam? an tuguriolo? nitebant opes, imperat heredibus, ut legata solvant illis, quibus ipse offensior videbatur, veluti ludimagistris, quos alioquin parum lucri capere, scimus, ingrata plebe in locum praemii denegati substituentem

k) IUL. PAVLVS L. III. Sent. T. VI., §. 2. Id quidem aetate recentiori mutatum, licet desideres ipsam constitutionem, qua id factum. Vid. I. G.

SCHAUMBURGII Conf. O. miss. Man. III., Obs. VIII  
l) HORATIVVS L. II. Sat. V. v. 34.

ruente plerumque contemptum; quum e contra aucupes hereditatum, qui testatoris aut coelibis, aut orbi, postremam liberalitatem blanditiis ac artibus malignis expugnare annitebantur, ex huius sententia ingemiscere debeant,

*Nil sibi legatam, praeter plorare, suisque m).*

Ita etiam testatorem quandoque iubere miraris, ut, quae olim miseram malarum noctium mercedem plorabat, vulgiuaga Venus praecipiat rem maioris pretii, frementibus licet necessariis. Ita tandem, ut alia omittam, testator saepius damnat heredes, ut extrui curent monumentum memoriae ergo, siquidem ipsum non fugit, heredes, qui monumenta mortuis faciunt, serere arbores, quae alteri saeculo prodesse debeant.

In dicenda eiusce generis sententia, quae in legem a patrefamilias, intra domum, iuris beneficio latam abit, aut omnia curate seruata sunt, quae ad testamenti formam externam aequae ac internam spectant, aut non. Vltimo hoc casu, sciunt et vel tirones, supremum testatoris elogium euadere inualidum. Sicuti vero non est rarum in artibus, ac imprimis in disciplina nostra legitima, ut, quae vi sua generalia sunt, verba, doctrinae ergo, contrahantur ad significandam certam speciem, quo eo magis quaeuis

m) IDEM l. c. v. 69.

quævis res, singulis verbis ad certam speciem traductis, intelligantur: ita etiam hoc imprimis accidere, conspiciamus, in testamento, quod inualidum diximus. Si enim adest eiusce generis testamentum: id aut statim ab initio tale erat, aut demum deinceps, causa quadam contingente, suis destituebatur viribus. Si hoc vltimum euenit; testamentum iure factum infirmari dicitur. Ita tabulas patris rumpi, scimus, quam primum filiolus

*Colla iugo erumpens, disruptaque lora relinquens*

lucem adspexit. At si quando testamentum statim ab initio inualidum est: id accidere poterit vel propter ea, quæ circa formam illius externam fuerunt neglecta, vel propter vitium, quod latet in ipso vltimo elogio, eiusce forma interna. Isto in casu in specie adest testamentum, quod sub nomine iniusti venit: hoc vero posteriori casu euadit testamentum nullum n).

## II

### DETEGVNTVR FONTES VITIORVM, QUÆ PARIVNT TESTAMENTVM NVLLVM

At hæc ipsa, quam de testamento nullo dedimus, definitio nos iam eo ducit, vt paulo curatori opera inuestigemus fontes vitiorum, quæ eiusce generis testamentum produciunt. Qui, triplicem horum fontem præcipuum

n) L. I. D. de ini., rumpit., irrito facto Testam.

cipuum esse, adfirmaverit, is a recto tramite aberrare nullus videtur.

Primum eorum fontem perennem esse, arbitror, praeteritionem sui heredis. Omnem namque, ecquis nescit? vim suam ac robur, iure veteri, tabulas paternas amisisse, in quibus sui heredes erant praeteriti o). Nec libertas e tali codice faeco, nec legatum debebatur p). Atque, quod mireris, ne quidem eiusce generis tabulae reconualescebant q), etiamsi pater crudelis, praeterito herede suo, acerbo funere ante se perempto, inter naenias lamentationesque incuset fatum, quod non fineret, se participem fieri voti hunc in modum subinde emissi r),

*Di, precor, hoc iubeant, ut, euntibus ordine fatis,  
Ille meos oculos comprimat — —*

Quid? quod, meo quidem iudicio, tabulae, quibus pater praeterit filios, etiamnum nullae dici debent, adeo, ut ne quidem legata, aut caetera in testamento nullo relicta, conseruari queant. Nec proinde moroz rationes EVERH. BRONCHORSTII s), IOH. BEN. CARPZOVII t),

B

SAM.

- o) Pr. Inst. de *Exher. Liber.*, L. 1. D. de *Iniust. Rumpt.* L. 30., 31. 32. D. de *Lib. et Post.*  
 p) L. 17. D. de *Iniust. rumpto.* etc.  
 q) L. 7. D. de *Lib. et Post.*  
 r) OVIDIVS, *Epist. I. Heroid.* v. 101.  
 s) Vid. EIVSD. *Conciliat. Cent. III., Affect. 29.*  
 t) *Iurispr. Def. P. III., Const. IX., Def. 3.*

SAM. COCCEII u), HVG. DONELLI x), FRANC. DVARENI y), ANDR. FACHINAEI z), ANDR. GAILLII a), PH. HENR. HOENONII b), SAM. STRYCKII c), aliorumque eruditorum, qui, tametsi in dubium vocare non auferint, ob praeteritionem paternam testamentum quoad heredis institutionem nullius momenti esse, nihilominus tamen contendere non erubescunt, legata in tali testamento nullo relicta omni iure subsistere. Nam hac in re ius antiquum non inuenitur aperte mutatum. Cur igitur in eius placitis non acquiesceremus? Obstat insuper secus sentientibus regula iuris, quae praecipit, ut nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedat. Dices eosdem illos in subsidium vocare recentiore legem diuini IUSTINIANI d), qua inniti, laetantur, causae suae praesidium. At quam egregie fallant, fallanturque, vide. Adhibuit legis, nobis aduersae, auctor, in exprimenda IUSTINIANI voluntate orationis figuram, quae uocum traiecit ordinem, chiasmum vulgo uocant e). Scilicet is neutri-

- u) *Iur. Controu. L. V., T. II., Qu. VIII.*  
x) *Comment. Iur. Ciuil. L. VI., Cap. XIII.*  
y) *Vid. EIVS Comm. ad Tit. de Ini. Irrit. Rum. Test. Cap. II.*  
z) *Contr. Iur. Lib. IV., Cap. X.*  
a) *Pract. Obs. L. II., Obs. CXIII. et CXXXIV.*  
b) *Quaest. seu Controu. Iur. Ciu. Disp. VII., §. 15.*  
c) *Vj. Modern., tit. de Inoff. Testam. §. 7.*  
d) *Nou. CXV., Cap. 3.*  
e) *Talis figura etiam inuenitur §. 21. I. de Legat. hisce uerbis, tam corporales res legari possunt, quam incorporales, i. e. tam incorporales, ut exempla ipsa paragrapho docent, quam corporales, quarum iam ante certa constabat doctrina.*



neutiquam agit de testamento ob paternam praeteritionem nullo, sed de eo potius testamento, quod quidem ipso iure valebat; at quod rescindebatur inofficioso iudicio vel ob exheredationem paternam, vel ob istam praeteritionem, quae fortiebatur vim exheredationis. Talis vero exheredatio, e principiis iuris ciuilib, tunc adest, quando aut auus maternus, aut mater iniuste praeteriit liberos f). Dubio enim caret, quin post senatusconsultum Orphitianum, quo liberi nominatim ad luctuosam matris hereditatem vocabantur, aduersus praeteritionem maternam moueri possit querela inofficiosi, vt pote non satis

*Dulcia sollicitè gestarat pignora mater,*

quin potius eadem haec in crimen ingrati vel impii animi incidebat, si liberos vltimo elogio contumeliose praeterierit submouens fortasse illos,

*qui testamenta merentur*

*Noctibus — —*

B 2

Igitur

f) *S. vlt. I. de Exh. lib. Dices*, et matris praeteritionem pro institutione haberi. Vbi? in *L. vlt. D. de her. inst., L. 28. D., et L. 3. C. de Inoff. Testam.* At speciales sunt hi casus, non pendentes a iurisdictione ma-

gistratus, alligati iuris regulis: sed a benignitate Principis legibus soluti, volente acqutate vltro perspicua. *Legas G. MASCOVII Praeteritum Institutum, quem reperies in Par. Goetting. p. 124.*

Igitur e causa aut exheredationis, aut praeteritionis, non quidem paternae, sed illius tantummodo, quae est instar exheredationis, institutio heredis, ex diui IVSTINIANI mente, corrumpitur, legata e contra ac reliqua omnia manent salua, adeo, vt debeantur e tali testamento, ac si id, quoad institutionem heredis, nunquam fuisset nullum g). Quae vero quum ita sint: an crederes, iure nobis opponi secus sententium opinionem, qua adductam legem de quauis, etiam paterna, praeteritione intelligi volunt? Absit somnium!

Sicuti vero in feminibus est causa arborum et stirpium: ita etiam vitiorum, quae gignunt testamenta nulla, semen luxurians est exhereditatio liberorum, parentumue, in testamento non rite facta. Toties vero eam adesse, constat: quoties testator aut omisit personarum nomina; aut nullum adiecit exheredationi elogium; aut eandem suscepit ob illas causas, quas, exclusis aliis, in facienda exheredatione vnicui spectari iussit diuus IVSTINIANVS. Adesse,

g) Euoluas, si placet, ANT. FABRI *Cod. Desin. Forens. L. VI. Tit. XI. Def. I.* et GEORG. FRANTZKII *Exer. Iur. VI., Qu. III.* Vnde ARN. VINNIUS *Sol. Iur. Quaest. L. II. C. XII.* et LVC. VAN DE POLL *Lib. sing. de Exh. et Praet. Cap. XXII.* reprehendunt au-

ctorem Auth. *ex causa C. de lib. praet.*, quod ita conceperit authenticam, *ex causa exheredationis aut praeteritionis irritum est testamentum*, quum is dicere debuisset, testamentum irritum constituitur, aut euertitur.

Adesse, dices, eruditos non paucos h), qui adfirmant, testamentum, quo conspicitur exhereditatio facta ob causas, lege expressas vel similes, vel grauiores, eo maiori iure consistere, quo certius est, in pari causa par ius esse oportere, nec vmquam tam accurate leges condi posse, vt omnes casus aliquando emerfuros complectantur. At dubium allatum me de sententia, quam semel cepi, non deiicit. Num enim quaeso vos fugiat, adesse hic quaestionem de odiosis, ac de delictis? In tali vero quaestione ea interpretatio optima videtur, quae se sua commendat benignitate i). Veruit insuper IVSTINIANVS k), alias causas, praeter expressas, interpretatione recipi. Tantum vero abest, vt aduersus legumlatoris voluntatem quidpiam valeat aequitas, vt potius lex, etiam dura, seruanda sit et iurisconsulto et praetori, relicta his duntaxat obsequii gloria.

B 3

Vltimum

h) In eorum classe eminent  
 HENR. BOECERVS *Class. III.*  
*disp. 3., ib. 44.* IOAN. SI-  
 CHARDVS ad *Auth. non licet,*  
*C. de Liber. pract. vel exher.,*  
 W. A. LAUTERBACHIVS in  
*Coll. Th. pract. tit. de Inoff.*  
*Test. §. XVI.* IOH. HENR. de  
 BERGER *Oecon. lur. L. II.*  
*Tit. IV., §. 14. not. 4 5.* L.  
 MENCKENIVS *System. Pand.*  
*L. V., T. II., §. 4.* TIM. FA-

BER *Disp. XIX. ad Instit. p.*  
*205.* Iungas HENR. a COG-  
 CILL, media via incedentem,  
 in *diff. de gen. Resolut. con-*  
*trou. circa causas exher. lib.*  
*Cap. II.* Inuenitur in EIVSD.  
*Disp. Curios. T. II. p. 1214.*  
 i) *Cap. XV. de R. I. in I I., L.*  
*pen. D. de poen. L. 168. D. de*  
*Reg. lur.*  
 k) *Nou. 115., Cap. 3.*

Ultimum denique fontem perennem, e quo testamenta nulla fluunt, deprehendo in inhabilitate testatoris vel heredis, si ea modo adfuerit tempore conditi testamenti. Talem inhabilitatem conspiciamus in testatore, si ipsi eo momento, quo elogium supremum dixit, nullum esset iudicium: quale desideramus tam in furiosis, quam et illo, qui equitando, saltando, ventrem pascendo tempus terit, ac paucis diebus maximum vini numerum, permagnum optimi pondus argenti, nummos foenore prauo vndique a suis maioribus corrasos, multam et lautam suppellectilem cito dissipat; in cuius domo singulis diebus personant omnia vocibus ebrionum, natant pauimenta vino, madent parietes, amici cum mulierculis meritoriiis versantur; breuiter de quo adfirmare poteris 1)

- - *interdicto huic omne adimat ius*

*Practor, et ad sanos abeat tutela propinquos.*

Eandem inhabilitatem in testatore deprehendimus, quando adest in ipsius statu ciuili defectus. Hanc ob rationem nullum est testamentum, quod aut seruus, aut exul, aut is conficiebat, qui apud hostes erat. Tandem inhabilitatem conspiciamus in testatore, si is, tempore condendi testamenti, in sacris paternis constitutus auderet de aliis, quam

1) HORATIVVS *Lib. II., Sat. III., v. 15.*

quam castrensibus, aut quasi castrensibus bonis dispo-  
nere.

## III

DESCRIBITVR ADPROBATIO TESTAMENTI NVLLI,  
QVAE EST VEL EXPRESSA, VEL TACITA

*In publicis nihil esse lege grauius, inquit CICERO m), in  
priuatis firmissimum esse testamentum.* Hoc sibi, quamuis  
rarenter, dictum esse, putant heredes sui, opibus pater-  
nis spoliati testamento, quod nulliter fecerat pater, dum  
forsitan, tempore dicendi elogii supremi, per morbos  
iam iam inciderant alienationes mentis, et sensum et in-  
telligentiam turbantes, dumque sic tunc contigerat, quod  
vel in aliis, vel in se ipso, animaduertit LVCRETIVS n),

*Quin etiam morbis in corporis auius errat  
Saepe animus: dementit enim, deliraque fatur,  
Interdumque graui lethargo fertur in altum,  
Aeternumque soporem, oculis nutuque cadenti:  
Vnde neque exaudit voces, neque noscere vultus  
Illorum potis est, ad vitam qui reuocantes  
Circumstant, lacrymis vorantes ora genasque.*

Quid mirum igitur, si, quouis saeculo non defuisse,  
conspicias, viros et vel ea propter laudibus extollendos  
o), quod religiosissime solerent custodire defunctorum e-  
logia

m) *Orat. Phil. II., Cap. XLII., p.*  
1095. ex edit. ISAC. VERRER-  
GII.

n) *De Rer. Nat., L. III., v.*  
464.  
o) Ea propter iam PLINIUS

logia vltima, quamuis ob neglectam a iure formam praescriptam essent nulla. Id tunc accidere, constat, quando eiusce generis tabulas nullas adprobant homines, quos naturae ordo iustos patri crudeli et proximos heredes dedit. Per talem vero adprobationem intelligimus actum, quo heres ab intestato successurus vel verbis vel factis declarat, se ratum habere, ac sibi acceptum, testamentum nullum. Duplex est talis adprobatio, alia expressa, alia tacita. Illa fit disertis verbis de eiusce generis tabulis acceptandis. Tunc vero v. c. adest, quando heredes, quos iura ad successionem vocant, aut pacto, aut transactione, remittunt actionem, qua testamentum nullum impugnare possent p). Tacitam adprobationem vocamus istum actum, quo mentem de seruando testamento nullo declaramus factis q). Ita is tacite defuncti voluntatem agnoscere videtur, si bona hereditaria ab herede in tali testamento designato aut emat, aut conducatur r); aut si patrocinium praestet piae, quam vocant, causae petenti legatum s), quod in testamento nullo reliquit testator, oblata aliqua bonorum, scelere saepius quaesitorum, parte transigens cum Deo, quem peccatis suis offensum esse sentit.

*Iun. L. IV. Ep. 10. amicum suum laudabat.*

p) *L. 23., §. 1., D. de Inoff. Test.*

q) *Magnus ex hac diuisione oritur vius, licet non is, quem*

*inepte ei tribuit PHANVCCIUS de PHANVCCIIS Tr. de Inuent. Her., Part. VII. n. 126.*

r) *Arg. E. 10., §. 1., L. 32. D. de Inoff. Testam.*

ADVERTVR ARGVMENTVM, QVOD DOCET, TESTAMEN-  
TVM NVLLVM ADPROBATIONE HEREDVVM AB INSTE-  
STATO NON RECONVALESCERE IN FORMAM  
TESTAMENTI VALIDI

Fingas, apertis tabulis supremis, heredes legitimos  
detegere vitia, quibus scater testamentum testatoris de-  
mortui. Fingas, eosdem illos iam olim veritos esse,  
ne vel

*vis morbi distracta per artus*

*Turbet, agens animam - -*

vel ob senectutem decrepitam ita desipiat testator, vt ma-  
lignum de suis heredibus ferat iudicium. Fingas, eos-  
dem illos declarare, se testamentum nullum ratum habe-  
re, ac sibi acceptum. Quid quaeso statuendum iam erit?  
Num, dic fodes, num eiusce generis testamentum, inter-  
ueniente tali adprobatione, reconualescat in formam te-  
stamenti validi? Abnegandam esse, arbitror, hanc quae-  
sitionem adplaudentibus iureconsultis magni nominis s).  
Vt ita sentiam, me omnium primo mouet, quod, ex le-  
gum romanarum praescripto, *testamenta sunt iuris pu-*

C *bli-*

s) Ita sentiunt IOS. AVERANI-  
VS *Interpr. Jur.*, L. I. Cap. X.,  
IAN. a COSTA *ad pr. I. de*  
*Exh. Lib.*, ANT. FABER *Cod.*  
*Defin. For. L. VI., Def. VI.*,  
IOH. GODDAEVS *Vol. IV.*

*Conf. Marb. Conf. XXX. n. 53.,*  
*CH. VLR. GRVFN Disc. For.,*  
*Cap. V.,* qui etiam testatur,  
eundem in modum iurecon-  
sultos et Francofurtenses et  
Giefenses respondisse.

blici t). Praecipunt vero leges, ne, quae sunt iuris publici, pactis priuatorum immutentur u). Ergo et idem dicendum erit de testamento nullo. Quo vero vim argumenti allati eo facilius perspicere queas: meum erit, paucis ostendere sensum, quem fortitur axioma iuris, testamenta esse iuris publici. Scias igitur velim, axioma hoc in iure nostro alium sensum ante leges XII. tabularum habuisse, alium vero accepisse post easdem illas leges.

Tribus prioribus rei publicae romanae saeculis duo testamentorum genera vsu seruata fuisse, ex annalium monumentis constat. Si qui, pacis tempore, alium, quam heredem legitimum, habere cuperet: is desiderio suo, coram vniuerso populo in comitiis calatis, bis ea propter quouis anno haberi solitis x), exposito a communi successionis lege, recedere, et aut ex heredibus legitimis remotiorem, aut extraneum prorsus heredem instituire poterat. Paulo simplicior erat forma testamenti eo tempore conditi, quo perculsa bello ac prostrata iacerent omnia. Non enim hic comitiis, non classium frequentia, non praesentia pontificis, non populi suffragiis erat opus: sed

t) L. 3. D. *Qui testam. fac. poss.*  
Inde vero deteges rationem, quare iure publico dari, legari dicatur id, quod testamento relinquitur, L. 1. pr. D. *ad L. Falcid.*

v) L. 38. D. *de Pact.*, L. 27. et 45. § 1. D. *de Reg. iur.*

x) Sequor testimonium THEOPHILI *Paraphr. Graec. Inst.*, §. 1., *de Testam. Ord.* Nec me ea deterrent, quae illi ob-



sed nuda militis, ad pugnam parati et expediti, de futuro herede voluntas, coram tribus quatuorue commilitonibus declarata sufficiebat. Vtrumque hoc testamentorum, ante leges XII. tabularum vsu seruatorum, genus iuris publici erat. Rationem huius rei in eo latere, opinor. Prius nempe testamentum *suprema* totius populi romani auctoritate erat suffultum. Posterius vero tuebatur tacitus Quiritium consensus, factis magis ac prohibitionis omissione, quam verbis declaratus. Hic sufficere videbatur, quod non modo imminens vitae periculum militibus, in hostem irrupturis, nullam ad comitia, quibus in otio testamenta condimus erat, redeundi spem relinquebat, sed quod etiam, e Romanorum religione, id semper ratum erat habendum ac sanctum, quicquid diis iussissent pro re publica deuoti, inter quos eminent inprimis milites more Gabino praecincti. y) An igitur, me erronea docere, putares, dum sine vlla haesitatione mentis adfirmo, iuxta mentem iuris istius, quod Romae ante decemviros viguit, axiomate nostro prudentes significasse, vltima morientium elogia, suffragiis romani populi suffulta, formam legis publicae habere, et hanc voluntatem, a populo semel adprobatam,

C 2

non

iciunt FRANC. HOTMANNVS ad §. 1. de Testam. Ord. et I. G. HEINECCIUS Syntr. Ant. Rom. L. II., Tit. X, §. 2.

y) Hac de re, more suo, id est, eleganter ac iudiciose disserit Lipsiae decus, A. FR. SCHOTT, Opusc. iur. p. 158.

non priuatorum pactis, sed tantum noua lege, de nouo herede lata, immutari potuisse?

Ast et alius sensus axiomati, de quo est sermo, tribui debet, si rem metiamur post tempora legum XII tabularum. Videlicet testamenta in calatis comitiis rogari solita in fumum abierunt, quum condere incepissent testamenta per aes et libram z). Multum sudauit et alit iurisconsultorum cohors in quaestione explicanda, num, cuius modo inieciimus mentionem, testamentum ipsis legibus XII tabularum esset praescriptum a)? an vero demum a prudentibus ex legis actionibus introductum b)? Sine pulueris iactu, opinor, litem ita componi posse. Quod nimirum legibus decemuiralibus generatim fuerat cautum, ut ne, sine interposita mancipatione, vlla alienatio rei fieret, quae esset res mancipi: id speciatim prudentum auctoritas suppleuit in testamentis per aes et libram a patrefamilias intra domum condendis c). Duo caeteroquin testamentorum per aes et libram genera fuisse, anim-

z) Existimat VIGL. ZVICHEMVS *Comm. ad X. tit. I. de Testam. p. 17.*, non plane sublatum esse hunc testandi ritum, sed modo mutatum. At summum esse, quis neget?

a) Ita adserunt FRANC. BALDVINVS *Comm. ad Leg. XII. tab. p. vi8*, edit. Basil. de Ann. MDLVII, FR. HOTMAN-

NVS *ad Leg. XII. tab. p. 210*, CAR. SIGONIUS *de Ant. Iur. Civ. Rom. T. I.*, C. XII.

b) Contendunt id IAC. GOTHOFREDVS *not. ad LL. XII. tab.*, p. 210., CONR. RITTERSHVSIVS *Dodecat. Cl. 3.*, P. 2., C. XVIII.

c) Vid. CICERON. *Topic. ad Trebat. C. V.*

aduerterunt eruditi d). In vtraque, ecquis nescit? testes esse adhibitos. Tantum vero aberat, vt testator testibus tabulas vltimas aut ad roborandas sigillis e), aut ad subscribendas obtulerit, vt iidem potius perhiberent modo testimonium supremi elogii rite nuncupati f). At quae forte septem testium signaculis erant obfignatae, testatorum tabulae habebant praesumptionem de adhibitis solemnitatibus, quae in testamento per aes et libram adhiberi debebant. Haec vrgens praesumptio mouerat Praetorem, vt, qui in eiusce generis tabulis, signaculis VII testium munitis, institutus erat, heredi ex edicto daret bonorum possessionem, donec lis de testamenti iure esset decisa g). Quo ipso, credite mihi, accidit, vt non

C 3

mo-

d) Praeunte THEOPHILO *Paraphr. Inst. l. c.* id statuunt ARN. VINNIUS *Comm. ad §. I. I. de Testam. Ordin. n. 2* et EVERH. OTTO *Iurispr. Symb. Ex. I., C. XVIII.* Impugnant quidem eorum sententiam VLR. HVBERS *Digr. L. IV., C. XIII., §. 2. sq.* et A. D. TRECKELLIVS *l. c., C. III., §. 29. sq.* At parum eos curo. Nam dubia horum duumvirorum docte fati discussa sunt ab OTT. GVIL. REITZIO *not. ad Theoph. Par. p. 332.* edit. splendidae, quae Hagae Comitum MDCCLI prodiit, et a FR. CAR. CONRADI *Exerc.*

*I. de Pact. Fiduc. §. 7.*

e) §. 2. I. de *Test. Ord.* Male igitur TRIBONIANVM erroris, hac in re commissi, accusat CLAVD. SALMASIVS *Tr. de subscrib. et sign. testam., C. XII., p. 208.*

f) Mentionem testimonii ita implorati inicit THEODOSIVS *Imp. Nov. Const. L. I. Tit. IX., quae legitur in Cod. Theod. T. VI. P. II., p. 29., edit. ill. RITTERI.*

g) Fragmentum hanc in rem concepti ex albo c. CORNELII VERKIS nobis seruauit CICERO *Orat. in Verr. L. I., C. XLV.*

modo ludibrium veteris mancipationis ipso hominum usu contemneretur h), sed ut etiam, e principum constitutionibus, et iure civili aequae ac edicto Praetoris alia testamentorum faciendorum forma introduceretur i). At quorsum haec disputo? quorsum? ut intelligas, benevole lector! testamenta, quae post leges XII tabularum usu inualuerunt, esse quidem iuris publici, at non ratione obiecti. Si enim hoc metimur: quoduis testamentum est res priuati, utpote a cuiusuis voluntate dependet, num velit, ut post suum obitum proximi sanguine bona ex aequo diuidant? an vero, si factorum iniquitas prohibeat, natos aut iustos heredes post se relinquere, supremis tabulis de successionis iure cauere velit? Indicat potius nostrum axioma, testamentificationem solemnem ordinatam esse iure publico ac publicis legibus romanis k), quae aliis

h) Me non fugit, I. CUIACIUM ad Tit. D. *Qui testam. fac.*, TH. MARCILIUM ad §. I. I. *de Test. Ord.*, NIC. REVSNERVM *Tr. de Testam. Cap. X. n. 21.* contendere, abolita esse a CONSTANTINO M. testamenta per aes et libram. At, inspecta L. 12. C. *de Test.*, mecum, iurare auferim, adfirmabis, IAN. DIOCLETIANI et MAXIMIANI aequo ritum testandi per mancipationem exoleuisse. Nec secus sentientium opinionem L. 15. C. *cod.*, ad

quam prouocant, iuuari erudite edocuit I. GOTHOFREDVS ad L. 1. *Cod. Theod. de Testam.* Iungas, si placet, G. SAM. MADIHN *de Valid. testam. non rite obl.*, §. IV.

i) §. 3. I. *de Testam. Ordin.*

k) Opinor, id confirmari, quod iure civili non modo ea tantum publica audiant, quae sunt populi romani; sed quod etiam in pluribus causis appellatio publici spectet tantummodo ad populum romanum. Euoluas ea propter L. 15. §. 4.

aliis ius testandi concederent, aliis denegarent, suprema  
 elogia solemniter dicta conseruarent, omnemque alter-  
 candi causam tollerent. Indicat insuper testamenti fa-  
 ctionem esse iuris publici ratione muneris, quod tabellio-  
 nes ceu personae publicae denegare nequeunt, quando  
 testator, cui forsitan supremus adstat dies, ipforum ope-  
 ras desiderat in ordinandis elogiis supremis l). Indicat  
 tandem axioma nostrum, ius testamenti condendi non  
 priuatam alicuius, sed publicam omnium ciuium causam  
 respicere, ac e re totius ciuitatis esse, ne a forma, quam  
 leges publicae praescribunt, subditi recedant, eamue de-  
 ferentes tragodias excitent.

Ergo quum is, quem dedimus, sensus laudato axi-  
 omati iungi debeat, et forma, hinc etiam validitas, te-  
 stamentorum pendeat a iure publico, non vero priuato-  
 rum placitis: sequi inde, ecquis neget, adprobatione in-  
 sequuta heredes ab intestato efficere non posse, vt, quod  
 vitium, in omnium oculos incurrentibus, scateret, testa-  
 mentum reconualescat in formam testamenti validi. Prae-  
 cipiunt enim iura, ne ratificatione reconualescat id,  
 quod ipsa lege est reprobaturum m), quale quid vero adest  
 in testamento nullo. Iubent DIOCLETIANVS ET MAXI-  
 MIANVS n), *testandi causa de pecunia sua legibus certam  
 facul-*

D. de V. S.

l) Legas, si placet, M. LYCK-  
 LAMA & NYHOLT Membr.

L. V., Ecl. VI.

m) C. XVIII., de R. I. in Vlti.  
 n) E. 13., D., de Tellam.

Facultatem esse permissam, non autem, mutare formam, vel iuri publico derogare, cuiquam esse permissam. Annon vero heredes ab intestato mutarent formam testamentorum, ac iuri publico derogarent, si ipsi, interposita adprobatione, efficerent, ut testamentum nullum reconualesceret in formam testamenti validi? Quid? quod neglecta forma, quam desiderat ius publicum, deest principium legitimum testamenta conseruans. Aeger potest conualescere. Mortuus potest reuiuiscere. At qui numquam natus est, is nec reuiuiscere, nec reconualescere poterit. Eadem ratione testamentum, non e praescripto iuris publici conditum, adeoque nullum, numquam fuit testamentum n). Nam ab initio nullius erat momenti; numquam valebat; hinc nec ut testamentum ob insequentem adprobationem reconualesceret. Scimus, iure civili elogium supremum, licet ab initio valuerit, si postea ruptum fuerit, amplius non reuiuiscere, etiamsi remoueatur causa, quae illud euertebat. Ita, ut alias species omittam, tabulae supremae, quae ob capitis diminutionem vi sua destituebantur, cessante ac sublata causa non conualescunt iure civili n). Si igitur testamentum, quod ab initio valebat, ac postea factum

n) L. 2. §. 1. D., *Quemadmodum testam.* Inde est, quod, dicitur, non testamentum fecisse, qui nulliter fecit, et quod in effectu testator noluisse censetur, qui ipso iure testamen-

tum nullum confecit, vid. FERD. CHRIST. HARPPRECHTI Vol. II de *Sucess.*, Tr. XII., p. 1312. et HIER. PANTSCHMANNI, L. II., Qu. 23., n. 9. 144.

ctum erat irritum, non conualescit, etiamsi remota sit  
caussa, ob quam vi destituebatur: dubitare non possu-  
mus, nec heredes ab intestato iuri publico derogare, nec  
proin adprobatione interponenda efficere posse, vt,  
quod initio non valebat, testamentum reconualescat in  
formam testamenti validi.

## V

PRO SENTENTIA NOSTRA ADORNANDA ALIUD  
ADPERTVR ARGVMENTVM

Si, quae vitiis, sub oculorum adspectum cadentibus,  
scatent, quibusque leges de successione ab intestato  
rollere annuntur testatores, lectulo fatali decumbentes,  
suprema iudicia exitum habere debeant: opus esse, qui-  
uis fatebitur, fundamento obligationis, quo innitatur  
aut actio ex eiusce generis testamento instituenda, aut ad-  
ducenda exceptio. Frustra vero, me hercule! frustra  
rale fundamentum in testamento nullo quaesiveris, legi-  
bus volentibus, vt non modo testamentum, quod ab ini-  
tuo nullum erat, vi sua semper destitueretur, sed vt et-  
iam inutilis esset aditio ex eiusce generis tabulis suscepta  
o). E re ergo erit, alium detegere fontem, e quo fluat  
memoratum fundamentum obligationis. Quum vero  
nec vlla sit obligatio, quae non habeat in se conuentio-

## D

nem

o) Id pluribus ostendebat CH. §. IX,  
VLR. GRUPPEN I c., C. V.,

nem p), nec solius offerentis promissum obliget q): tantum abesse, crediderim, ut, qua heredes ab intestato declarant, se ratum habere ac sibi acceptum testamentum nullum, adprobatio nuda sufficiat ad quosdam effectus producendos, ut potius eadem illa semper iuncta esse debeat conuentione pactoue, ac proinde heredibus in tali testamento institutis non profit talis adprobatio, ni ipsi in eandem consenserint. Ne temere id dixisse videar; audias rescriptum r) Imperatorum DIOCLETIANI ET MAXIMIANI. Dicunt, *si veritas, vel solemnitas iuris deest, nec amplexus parentis voluntatem relicta dedisti, vel transactionis causa stipulantibus promissisti, negotiumque integrum est: ad solutionem urgeri non potes.* Loqui Imperatores, quiuis conceder, de testamento nullo, et, iisdem iubentibus, e tali testamento oriri quidem obligationem, quando heredes ab intestato id fuerint amplexi, id est, adprobauerint. At nudam adprobationem non admittunt Imperatores, sed volunt, ut heredes simul vel relicta dent, vel transactionis causa stipulantibus promittant. Sive vero priorem, sive posteriorem cogites casum: in utroque, adfirmabis, deprehendi adprobationem ab heredibus

p) L. i. §. 3. D. de *Pact.*

q) L. i. §. i. D. de *Pollicit.*

Hinc in pollicitationibus publicis ac votiuis id singulare deprehenditur, ut producant

obligationem, etiamsi deficiat acceptatio. Vid. I. O. WENSTENBERGII *Elem. Dig. Tit. de Pollicit. §. 2.*

r) L. 23. C. de *Fideic.*



redibus ab intestato factam testamenti nulli, quae vero iuncta erat alia interueniente conuentione, et sic demum efficiebat, vt testamentum nullum reconualesceret s). Obligationem igitur, ecquis neget? ac inde necessitatem heredi, in eiusce generis tabulis instituto, lucrum speratum ac successionem relinquendi, non oriri ex inequata testamenti nulli adprobatione, sed potius aut ex donatione, aut ex conuentione, aut transactione adprobationi tali accedente. Quae vero quum ita sint, quumque proin eiusce generis tabulae non in vim testamenti, sed saltem in vim aut pacti, aut donationis, transactionisue sustineantur: sequitur, easdem illas, ob nudam adprobationem ab heredibus; ab intestato interpositam, nunquam reconualescere in formam testamenti validi.

## VI

ALIO ARGUMENTO NOSTRA SENTENTIA  
CONFIRMATUR

Ignoscas velim, mi M. PORCI CATO t), ignoscas,

D 2

quod

- s) Hinc H. DONELLVS ad L. 16. C. de Testam. et L. 1. ac 23. C. de Fideic. recte adserit, non nudo pacto, sed tunc demum voluntatem defuncti agnosci, si aut praesetur, aut stipulatione interueniente promittatur legatum, aut si accedat constitutum.
- t) Plerique eruditorum huic re-

gulam Catonianam tribuunt, moti verbis A. GELLII *Noct. Attic.* L. III., C. XVIII., quibus, eum iuris peritissimum fuisse, dicit. Vid. praeter GREG. MAIANSIUM *ad XXX Iureconf. Fragm.* p. 91., IOH. BERTRANDVM *de Iurisper.* L. II., C. II

quod haecenus nullam mentionem iniecerim tuae regulae, seu, vt alii loqui solent, tuae definitionis u), tuae sententiae x), qua tamen, dici vix potest, quantum iuuetur causa nostra. Vt vero quisque de plano quasi recte videre queat, prius adponam verba regulae, a CELSO nobis seruatae y), quam de re ipsa altiora duxerim verba. Haec ita se habent. *Catoniana regula sic definit: quod si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum quandocunque decesserit non valere.* Prudentibus, qui vna cum CATONE ante leges caducarias floruerunt, non vna sedebat sententia circa quaestionem z), vtrum in legatis, vt consistant, testamenti facti tempus? an is dies, quo deferuntur legata, eorumque actio competere incipit, spectandus esset? Litem decisurus egregio conatu, mi CATO! efformasti regulam, qua, prout animaduertenterunt optimi artis nostrae interpretes a), indicasti, in omnibus illis negotiis, in quibus, veluti in testamentis, leges pro forma statum personae et rei praesentis spectari iubent, in quibus insuper semel tantum velle possumus, e quibus tandem negotium capit statum seu substantiam, spe-

u) L. I., D., ad Reg. Caton. §. 32.

x) L. 86., D., de Condit. et Demonstr.

y) Cit. L. I. Adscripsi verba, sicut exhibebat ista editio Taurelliana.

z) Huius litis meminit THEOPHILVS, l. c., tit. de Legat.,

a) Ita, vt alios non memorem, sentiunt IAC. GOTHOFREVDVS in *Oper. Iurid.*, p. 837, edit. CH. H. TROTZII, et GREG. MAIANSIVS in *Diff. de Reg. Caton.* §. 2., obuia in *Ipsius Vol. II. Disp. p. 144.*

spektandum esse tempus, quo actus geri incepit, ac negotium, si ilicet ab initio vi sua destituebatur, nunquam conualescere, etiamsi testator diutius vixerit, aut eidem illi, tractu temporis, accesserit quidpiam, quod cum re dudum praeterita ac mortua vitam quasi ac spiritus communicare videatur. Hanc tuam regulam, licet nulla eam corroboraueris ratione, adprobarunt prudentes, e Sabinianorum imprimis familia oriundi, eamque, prout occasio ferret, adhibuerunt. Ita ecce tuis, mi CATO! vestigiis acriter insistentes GAIUS ET MODESTINVS voluerunt b), vt tabulae supremae istius testatoris, qui initio conditi testamenti non gaudebat iure testandi, non suffinerentur, etiamsi tractu temporis testabilis esse inceperit. Eandem tuam, mi CATO! doctrinam intuens VLPIANVS edixit c), quod, si res mea legata mihi sit, legatum hoc ab initio nec subsisteret, nec conualesceret, etiamsi res post testamentum fuerit alienata. Adposite IVSTRINIANVS ipse pronuntiat d) testamenta inutilia, quibus

D 3

prae-

b) L. 8. et 19., D., *Qui testam. fac. poss.*

c) L. 41., §. 2., D. de Legat. I. Eandem sententiam quoque sequitur Imperator §. 10., l. de Legat. Aliud vero CELSI iudicium fuisse videtur in L. 1., §. 2. D. de Reg. Cat. Dissidium agnouerunt interpretes egregii. Mitto eos. Solum

FR. BALDVINVM ET GOTH. MASCOVIVM excito. Is *Comm. ad Reg. Caton.* p. 370. Ed. Basil., hic *Diatr. de Sect. Sabin. et Procul.*, C. IX., §. 23., annuntur, CELSVM cum VLPIANO conciliare. In horum conciliatione acquiesco.

d) *Pr.*, I., de *Exhered. Lib.*, pr.

praeteriti sunt filii familias, licet ante testatorem fati concesserint: item testamenta non solum filiorum familias, nec peculium castrense, nec quasi castrense habentium, etiamsi suae potestatis facti moriantur, sed etiam impuberum et furioforum, licet illi decesserint puberes, hi vero, postquam ad sanam mentem redierint. His positis,

*Quis dubitet nomina tanta sequi?*

Quis insuper mihi vitio vertat, dum iam pro adornanda mea causa ita ratiocinor? Si, ex regulae Catonianae praescripto, testamentum, quod statim ab initio vi sua destituitur, nunquam conualescit; sequitur, heredes ab intestato eiusce generis testamentum adprobantes efficere non posse, ut id in formam testamenti validi reconualescat. Atqui. Ergo. Obiiciet quis, leuitatem adducti argumenti et vel exinde patere, quod CATO non tam de testamento nullo loquatur, quam potius de inutili legato, dicatque, hoc non conualescere, si tempore testamenti facti inutile fuerat. His CATONIS verbis conturbari, videris, et eo usque ab amplectendo meo argumento abduci, donec docuerim, regulam Catonianam extendi iure etiam posse ad institutiones inutiles, siue, quod eodem recidit, ad testamenta nulla. Quam abs me postulas, probationem tradam. Illud te scire oportet, nomine legati, cuius in regula CATONIS commemoratio fit, contineri quoque heredum institutiones. Nam vox lega-

*et §. 1. I. Quib. non est perm. fac. test.*

131773

1779

legare generalem habet significationem. Pro quacunque ultima voluntate sumi solet. Testatores, dum ultima elogia ferunt, legare dicuntur e). Nec indignum notatu videtur, quod et testamentifactio ad legatum extendatur; ut ecce aliquis testamentifactionem habere dicitur, etiam si solius legati capax fuerit f). Quum igitur testamentifactio passiva, quae eadem est ac heredis institutio, ad legata, et rursus legatum ad heredis institutionem referatur, ac promiscuus horum vocabulorum in iure nostro usus sit: mirum non est, si, regulam Catonianam et de institutionibus ac testamentis nullis intelligendam esse, dixerim. Ac si nec haec ratio tibi sufficiens videatur: testimonium VLP IANI, probationis petitae adimplendae ergo, in medium proferre, quid verat? Scripserat ad SABINUM g), CATONIS regulam non pertinere ad institutiones conditionatas. Quorsum vero diceret, placuisse, ad conditionatas institutiones non pertinere hanc regulam, si illa non pertineret ad puras. Pertinet ergo, ex VLP IANI mente, ad has. Nam qui a regula quicquam excipit: is eam in caeteris adprobare videtur. Sed quid opus est pluribus rationibus anxie congerendis, quum

e) Id tam ex legibus XII. tabularum, quam ex formula in VLP IANI *Fragm.*, T. XX., §. 9. obuia, demonstrarunt D. VACON. AVACVNA *Declar. Iur.*, L. IV., Cap. LV., et B.

BRISSENIUS *de V.S.*, p. 708., ed. HEINECCIUS.  
 f) L. 16., §. 1., D. *Qui testam. fac. poss.*  
 g) L. 4., D., *de Reg. Caton.*



quum IAVOLENVS h) generatim dixerit, omnia, quae ex testamento profiscuntur, ita statum euentus capere, si initium quoque sine vitio ceperint. Adposite etiam LICINIVS RVFINVS i) adfirmavit, institutionem ab initio inutilem ex post facto conualescere non posse.

## VII

VLTERIOR EIVSDEM ARGVMENTI MEDITATIO  
ADFERTVR

Contendere te, audio, sese commendare quidem diligentiam adhibitam in exquirendis rationibus, vltro citroque in iure romano dispersis, quibus docere annis fuerim, Catonianam regulam, vti ad inutilia legata, ita etiam ad testamenta nulla, pertinere. Doctrinae tamen nostrae quo minus subscribas, te mouet auctoritas FRANC. BALDVINI k), PETR. FABRI l), OSW. HILLIGERI m), IOH. ROBERTI n), IAC. VOORDAE o), qui, Catonianam regulam cum generaliter ad hereditates, tum specialiter ad institutiones conditione adimplenda oneratas

h) L. 201., D., de Reg. Iur. Consentit cum eodem HARME-  
NOPVLVS *Promptuar. Libr. V.*,  
T. V., §. 23.

i) L. pen., D., de Reg. Iur.

k) Vid. IYSIVS *Comm. ad Inst.*  
L. II., T. XIX., p. 317., edit.  
paris. de an. 1554.

l) *Coniect. Iur. Ciu.* L. XII., C.

XIX.

m) Euolvas EIVS DONELLVM  
*enucleat.*, L. VIII., Cap. XIII,  
n. E.

n) *Animadu. Iur. Ciu.*, L. I., C.  
XIII., p. 18. edit. paris. de  
1580.

o) *Interpr. et Emend. Iur. Rom.*  
C. XLV.

tas pertinere, negant. Scio, tantos viros inducere PAP-  
PINIANVM aientem p), *regula Catoniana, non pertinet ad*  
*hereditates, neque ad ea legata, quorum dies non mortis tem-*  
*pore, sed post aditam cedit hereditatem.* Audio verba,  
horrenda mihi, si diis placet. Quid igitur? Locumne  
hic dabimus illi

— — et quae  
*Desperat, tractata nitescere posse, reliquit.*

Nil minus. Haesito enim, an PAPINIANVS secus senti-  
entientes iuuet, si modo quaesierint iustam speciem, in  
qua non minus hereditatis, quam legatorum dies cedat  
post aditam hereditatem? Nam quum iurisconsultus ea-  
dem enuntiatione et coniunctim scripserit de legatis,  
quae mortis tempore in suspenso pendebant, ac simpli-  
citer de hereditatibus: probabile esse, quiuis concedet,  
PAPINIANVM etiam de iis hereditatibus, quae similiter  
mortis tempore pendebant, sensisse, ac adducta ipsius  
verba, etiamsi terminis generalibus concepta adpareant,  
de singulari quadam specie intelligenda esse, nec ea pro-  
in infringere sententiam, quam tuor.

Quaeris dubio procul, et iure quaeris, quaenam sit  
illa species singularis, quae detecta latet sub PAPINIANI  
verbis? Quemadmodum vero viri docti in rebus paullo  
difficilioribus plerumque in varias atque diuersas senten-  
tias

p) L. 3. D. de Reg. Caton.

tias eunt: ita etiam iureconfulti in specie, verbis PAPI-  
 ANI respondente, inuenienda tam varie disceptarunt, ut,  
 si hoc libello omnes sententias expendere velim, haud sci-  
 am, an lectoribus plus taedii, quam voluptatis sim allat-  
 urus? Sed ne id plane silentio praeteriisse videar, praeci-  
 puas eruditorum sententias pro virum tenuitate exa-  
 minabo. IACOBVS CVIACIVS, iusto audacior, nodum,  
 quem soluere non valebat, cultro abscondere maluit.  
 Scilicet PAPIANIANI responsum auctoritate nullius, nisi  
 sua, corrigere est ausus, abradens dictionem hereditates,  
 ac eius loco substituens verbum libertates q). Hanc in-  
 terpretationem acerbam rident cordatiores, ac verbis  
 PAPIANIANI male a CVIACIO tractatis vindicias parant r).  
 Si hi tam felices fuissent in vero perspiciendo, quam qui-  
 dem in refellendo falso fuerunt: nosmet superfedere pos-  
 semus inuestiganda specie, quae latet PAPIANIANI ver-  
 bis. Nec minori reprehensione digni sunt eruditi, qui,  
 licet sibi religioni ducant, commutandis voculis in legi-  
 bus, quas sanctas iure dicimus, ludere, existimant s),  
 PAPIANIANI responso contineri hereditates sub conditio-  
 ne

q) *Obseru. et Emend. L. IV.,  
 Cap. IV.,* Pressé eum sequitur  
 GREG. MALANSIVS *Comm.  
 ad XXX Ictorum fragm. p. 95.*  
 r) Id fecit praeter P. FABRVM  
 l. c., FR. MARSIVS GORDO-  
 NVS *Praetern. Iur. Ciu. Cap.  
 VIII.,* in EV. OTTONIS *Thes.*

*Iur. Ciu., T. II., p. 851.*

s) Ita RAD. FORNERIVS *Rer.  
 Quotid. L. III., C. VII.,* ap.  
 OTTONEM, l. c., 202. Ean-  
 dem sententiam amplecti vi-  
 detur IOH. STRAVCHIVS  
*diff. de Reg. Caton., §. 30.*



ne adimplenda relictas. Ne defint exempla, quibus fulciant opinionem, vrgent hereditates fideicommissarias, quarum quippe dies, fatentibus omnibus, cederet post aditam ab herede instituto hereditatem. At et haec sententia, opinor, reprobanda est. Si enim directae cedunt a morte testatoris, cur non et fideicommissariae, modo non illis adscripta sit conditio? Quid? quod, PAPINIANVM verbis allatis nec de legatis, nec de hereditatibus conditionalibus scripssisse, et vel exinde elucet, quoniam frustraneum laborem suscepisset, CELSO, PAVLO, VIPIANO de eiusce generis hereditate docte perorantibus t). Reliquas omnes minus probabiles eruditorum de PAPINIANI verbis sententias nullus commemorabo v). Etenim nec aliis, quam suis auctoribus, arrident, nec eius momenti sunt, vt iis respondere operae pretium esse videatur.

Faciamus potius periculum, an speciem PAPINIANI verbis curate respondentem inuenire, syrtesque, in quibus offenderunt alii, praeternaugare queamus? Quod vt fiat, scire te oportet, PAPINIANI responsum,

E 2

abs

t) L. 1., 2., 4., D. de Reg. Ca-  
ton.

v) Ita D. ANT. GOVEANVS  
Lectio. Iur. L. I., Cap. XXIX.  
intelligit hereditatem relictam  
feruo legato, cuius dies, nisi

adita hereditate, non cedat.  
Absurdus incedens IAC. RAE-  
VARIVS ad L. pen. D. de R. I.  
statuit, hereditates legitimas  
subintelligendas esse.

abs me allatum, meo quidem iudicio, esse ex istis quaestionum libris, quibus idem is tractauit de lege ista, qua vix vlla in principe terrarum ciuitate celebrior exstitit, puta Iulia et Papia Poppea. Vt ita sentiam, me inprimis mouet alia, eundem iureconsultum ceu auctorem agnoscens, lex memoratum responsum immediate subsequens x), quam ex earum quaestionum libris fuisse, sci- mus. Quemadmodum vero ea est optimorum iuris interpretum sententia, VLPIANVM, dum ad Sabinum scripserat y), regulam Catonianam ad nouas leges non pertinere, sub nomine nouarum legum intellexisse leges caducarias Iuliam et Papiam Poppeam z): ita etiam adfirmare, nullus erubescit, PAPIANVM respondentem non alias, ac has leges caducarias spectasse. Nimirum iureconsultus, vt ego quidem arbitror, responso ante oculos habuit hereditates et legata pure quidem relicta, quae vero tamen ob heredum a testatore designatorum incapacitatem, CATONIS aeuo incognitam, ac demum legibus caducariis Iulia et Papia Poppea notatam, non statim a morte testatoris, vt olim, sed demum post aditam

x) Est illa *L. XI. D. de His, quae vt indig.* lungas, si placet, ABR. WIELINGII *Iurispr. Restitut.* p. 144., et CAR. FERD. HOMMELII *Palingen. Libr. Iur. Vet.*, T. I., p. 542.  
y) *L. ult. D. de R. Cat.*  
z) Pluribus id docte docuerunt

IAC. GOTHOFREDVS in *Pract. Repet. Leg. Iuliae et Papiae Poppeae*, ap. OTT. *l. c.*, T. III. p. 238., GEORG. D'ARNAVD *Var. Coniect.*, L. II., Cap. XIV., et GREG. MAIAN- SIVS *cit. diff.*, §. 28.

ram hereditatem tunc cedebant, quando heredes institu-  
 ti, intra centum dierum spatium, aliquando etiam ma-  
 ius, tollerent impedimentum lege caducaria Iulia et Pa-  
 pia Poppea notatum, propter quod repellebantur ab  
 adipiscenda hereditate. Ad has, de quibus loquor, here-  
 ditates pertinere regulam Catonianam, negavit PAPINI-  
 ANVS. Et iure negavit. CATO enim sua regula ius an-  
 tiquum sistebat. Intueri volebat tempus et conditi testa-  
 menti, et mortis testatoris. Non alia, ac illa, in qui-  
 bus utroque hoc tempore conspiciebatur vitium, elogia  
 suprema nulla declarabat. Hinc, quam efformauit, re-  
 gula non poterat, PAPINIANO iudicante, ista testamen-  
 ta ceu nulla declarare, quando adesset incapacitas recen-  
 tiori demum lege, puta caducaria, Iulia et Papia Pop-  
 pea designata, quae impediēbat, quo minus statim a mor-  
 te testatoris cederet hereditas pure, in testamento alio-  
 quin valituro, relicta. Qui vero tu, inquier lectores  
 beneuoli, probabis, veram esse hanc interpretationem  
 suppeditamam de PAPINIANI verbis, tuae, quam defen-  
 dere annisus es, sententiae iamiam oppositis? Possem  
 hic pro defendenda interpretatione inuocare rationem,  
 statim sub initium interpretationis nostrae datam. Sed non  
 vtar ea. Porius in eo, tanquam fundamento non ruinoso,  
 inniti, arbitror, interpretationem, quod fieri alioquin non  
 possit, vt alibi, quam in his legibus caducariis, illam iuris  
 communionem inter hereditates et legata pure relicta inue-

niamus, quam his tamen, PAPINIANI responso, tribui conspeximus, ut scilicet horum dies cedat post aditam hereditatem. Vis, exemplum proferam? Species haec esto. Testator, lectulo fatali decumbens, successorem, quam iura definiunt, PAPINIANAe uo tollebat, et testamento rite condito, non proximos sanguine, sed illum amicum heredem ex asse instituerat, qui annos terebat amorum praeludiis, senescebat procando, et, postquam omnem mouerat lapidem, riualem temere irascitur, egregiae ac celebris repulsae gloriam prudenter dissimulat, ac innuptus laudat grande libertatis pretium. En speciem curate verbis PAPINIANI respondentem! Non poterat pertinere Catoniana regula ad hereditatem amico coelibis pure relictam: utpote deficiebat vitium nec conditi testamenti tempore, nec morte testatoris conspicuum. At nihilominus haec hereditas, licet adiri poterat a), non statim cedebat post aditam hereditatem. Nam lege caducaria Iulia et Papia Poppea cautum erat b) ne caelibes c), nisi intra centum dies legi par-

a) *Arg. L. 2., §. 1. in fin. D., De his, quae ut indign., et L. 43. §. 3. D. de Vulg. et pup.*

b) *Vid. praeter ULPIANI Fragment. tit. XVII, §. 1., et tit. 22., §. 3., I. GOTTL. HEINECCII Comm. ad Leg. Iul. L. II., C. XXI. p. 340., r. de LVDEWIG Diff. de Hagenstolz. Poen. in I. G. exule, p. 21., I. H. CH. de SELCHOW*

*Elem. Ant. Iur. Rom. P. II., C. II., S. I., p. 372.*

c) *Quales hic sunt non solum, qui nunquam uxorem domum duxerant, verum etiam, qui ductam vel amiserant, vel repudiarant. Nec est, quod quis eos quoque, qui in matrimonio vixerant, caelibes esse dictos miretur. Ita enim loquutos esse veteres, multis*

paruerint, neque hereditatem, neque legatum ex testamento caperent, Caelibatus ergo impediēbat heredem, quo minus hereditatem legatumue iure capere posset, licet eam adiret. At si is spe lucri, ex testamento adfugentis, inductus intra centum dies vicos omnes, insulas et tribus oberret, vt decrepitus et vel tandem tori sociam nanciscatur; si adhibeat amicorum facundiam, vt expungent pertinaciam formosae viduae, quae caeteroquin, mortuo marito, iuuenis cuiusdam amoribus irretita flammis ardet, nec cum Didone dicere potest

*Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores*

*Abstulit, ille babeat solus, seruetque sepulcro;*

si intra hos centum dies praefinitos vxorem ducat: tunc, quam adierat, iam sic demum cedebat hereditas pure relicta. Breuitati studens omitto, adducere alia exempla, quae nobis sistunt caeteri, quos omnes legibus caducariis Iuliae et Papiae Poppeae obnoxios constat, et ad quos omnes responsum PAPINIANI pertinere, adfirmo. Huic autem iuri caducario finem imposuit IVSTINIANVS d), ac luculenta illa de caducis tollendis constitutione reuocauit ius antiquum, quo hereditatis pure relictae dies statim a morte testatoris cedit, adeo, vt, si post mortem huius decesserit heres, hereditatem etiam ignorans ad suos heredes

exemplis docuit ANT. SCHVLTINGIVS *Iurispr. Vet. Ant.* d) *L. vn. C. de Cad. tollend.*

redes transmittat e). Quae vero quum ita sint, quumque, ut docuimus, responso PAPINIANVS tantummodo ius caducarium spectauerit: quis non accusaret TRIBONIANI, eiusque sociorum, imposturam, qua is fragmentum responsi a PAPINIANO ad legis caducariae suiliae normam accommodati ita reliquit, ut, re non penitus considerata, regnare adhuc videatur f)? Quis vero, his positis, existimaret, hoc PAPINIANI responso, ius antiquatum continente, infringi posse causam meam, quam in niti, statui, et adhuc statuo, regula Catoniana, cui etiamnum suus in foro constat honos? Credat Iudaeus Apella, haud ego.

## VIII

REFELLITVR SECVS SENTIENTIVM ARGVMENTVM  
AB INSEQVVTVA ADPROBATIONE  
DESVMPTVM

Tua in primis, hac et subinsequentibus paragraphis, res agitur, IOH. BORCHOLTEN, qui olim in hac nostra litterarum vniuersitate moliebaris g), euertere causam, quam tuemur. Praecipuum, si rite tuam mentem capio, argumentum in eo ponis, quod PAVLVS scripserat h), *exheredatum repellendum esse ab accusatione inofficiosi, qui*

e) L. 5. pr., et §. 1., D. Quando dies legat.

f) Vid. IOH. IAC. WISSENBA-  
CHII Emblem. Tribon. p. 110.

g) Vid. EIVS Consil. T. I. Resp.

56. edita a STATIO BOR-  
CHOLTEN.

h) L. 31., §. 3., L. 32., pr., D. de  
Inoffic. Testam.

qualecunque iudicium defuncti comprobavit. En speciem, ita cum aliis clamitas, testamenti inualidi, quod, dum heredes sui ob interpositam adprobationem inofficiosi querela impugnare nequeunt, conualuit in formam testamenti validi! Quidni igitur, ita dicere pergis, quidni liceat, praeunte PAVLO, idem adfirmare de quouis alio testamento nullo? Quem scrupulum, ne torqueat progredientes, exemisse e re nostra erit. In mentem reuoces, cupio, viguisse adhuc PAVLI aetate consuetudinem, cuius vigore ob iuris decemuiralis dispositionem vltima patris voluntas non modo instar legis valebat, sed huic etiam erat integrum, quacunque e caussa liberos exheredare. Pernota ista formula i), paterfamilias vti legasset super pecuniae tutelaeue rei suae, ita ius esto, hanc nostram thesin firmat, atque proin alium, me non, inueniet M. AVR. GALVANVS k), cui is persuadeat, iniquam esse formulae huius abs me factam extensionem. Laedere vero patris officium videbatur, ac insitum amorem

F

eiice-

- i) Attulimus verba, prout ista restituit IAC. GOTHOFREDDVS *Font. Quat. Iur. Ciu. Tab. V. 1.*
- k) Vir, limati alioquin iudicii, asserit, patremfamilias non potuisse suos heredes exheredare, ac, quam attulimus, legi decemuirali adiectam fuisse exceptionem, nisi liberos habeat. Vid. IPSIVS *Tr. de V.*

*sufruct., C. VIII, n. 14. sq. At somnium viri eruditi profligantur I. van de WATER Obs. Iur. Rom. L. I., C. XI., LVC. van POLL de Exher. et Praet. Hod. et Rom. C. VII., n. 4, n. H. REINOLDS de Causs., in quib. etiam nunc quer. inoff. test. est necess. §. 2. sq., in Ips. Opus. p. 338.*

eiicere penitus ex animo, qui inconsulto calore ad odium liberorum incitatus filios exclusit ab hereditate, quam iis tamen et vel ipsa ratio, quasi lex quaedam tacita, addicit. Igitur patremfamilias, si proprium quasi sanguinem praeteriit, furiosis simillimum esse, iudicarunt veteres, eundem ita disculpantes l),

- - - *bunc ego fatis*  
*Imputo, qui vultu morbum, incessuque fatetur,*  
*Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse*  
*Dat veniam.*

Hoc tantum discrimen inter furiosos ac patres impios intercedere, creditum est, quod istorum elogia suprema ipso iure erant nulla, horum vero testamenta, sub ficto dementiae colore, iudicis sententia demum poterant rescindi. Hanc cautam veteris prudentiae solertiam consuluisse honori et famae patrisfamilias exheredantis, contendunt PAUL. BVSIVS m), VLR. HVBERVS n), FERD. AVG. HOMMELIVS o), et alii. At perperam. Licet enim pro sententia firmanda adducant, filios de patris testamento querentes, dum patrem impietatis arguebant, multo magis laedere reuerentiam memoriae patris-

l) IUVVENALIS *Sat. II.*, v. 16.  
 lungas, si placet, A. D. ALTE-  
 SERRAE de *Fiction. Iur.*,  
*Tract. I.*, Cap. XXVI., p. 74.,  
 edit. ill. EISENHARTI.  
 m) *Comm. in Pand.*, L. V., p.

257.  
 n) *Ennom. Rom. ad L. 2. D. de*  
*Inoff. test.*  
 o) *Diss. de Victoria quer. inoff.*  
*tertio proficua*, §. VIII.



ternae debitam, quam si vrgerent infortunium patris, quod is scilicet aut morbo, aut fortunae aduersae iniuria alienatus fuerit mente: haec tamen ratio me non mouet, vt eos sequar. Nam ni maior, saltim par, crimen est, patri, cui sana mens fuit, dementia furoremue falso obtrudere, aut eum accusare, quod impius, se patrem esse, oblitus fuerit. Igitur, meo quidem iudicio, vereres prudentes, quos Iulii Caesaris et Augusti aetas admirata est, ea propter colorem furoris ac dementiae excogitarunt, aut saltim adprobarunt, vt maiestas legibus decemuiralibus salua maneret, ac eleganti artificio mitigaretur, querela, quam consuetudo, aequitatis ratione suffulta, induxerat p), liberis exheredatis concessa, qua impugnabant testamentum patris, qui nec illos agnouit,

*Quos genuit, quos eduxit, sed codice saeuo  
Heredes vetat esse suos.*

F 2

De

p) Me non fugit, praecunte IAC. CUIACIO *Obs. L. II., C. XXI., ac L. XIV., C. XIV.,* IOH. VINC. GRAVINAM *de Orig. Iur. Ciu. p. m. 411,* ac inprimis CAR. LOVARDVM *Lib. sing. de Orig. Quer. Inoff. Testam. ex Lege Glicia, C. XV. sqq.* secus sentire, ac argumento inscriptionis *L. 4. D. de Inoff. test. natales nostrae* querelae tribuere legi Gliciae. At vitiosam esse, arbitror, inscriptionem, et loco eius legen-

dum, statuo, Maximus ad L. Falcidiam. Ita enim, teste A. WIELINGIO *l. c. p. 76,* constanter optimaeditiones legunt. Hodie nemo eruditiorum est, qui adfentiat CUIACIO, postquam CORN. VAN BUNCKERSHOEK *Obs. Iur. Rom. L. II., C. XII.,* IBERTRANDVS *l. c., L. I., C. XXXVII.,* et ARN. VINNIUS *Comm. ad pr. Inst. de Inoff. test.* alia docuerunt.

De eiusdem generis elogio ultimo solebat cognosci apud praetorem, pro tribunali sedentem, adhibitis in consilium centumviris q). Liberi, quando heres scriptus hereditatem ab ipsis possessionem peteret, in modum contradictionis inducebant querelam r). Sin iidem non possidebant res hereditarias: proponebatur in modum actionis querela s). In arbitrio caeteroquin hominum exheredatorum erat, num talem querelam mouere vellent? an vero eadem vti nollent? Hoc tunc, iudicante PAVLO, cuius testimonio nostram causam infringi dicitis, accidebat, si approbassent patris elogium supremum. Quid inde vero sequebatur? an, quod volunt secus sentientes, tali adprobatione, ac sic deficiente querela, patris elogium supremum reconualuit? Nequaquam id sub PAVLI verbis later. Is enim hoc tantummodo indicat, liberos exheredatos, dum ob insequutam adprobationem testamenti paterni furoris pleni repelluntur ab accusatione inofficiosi, fateri, sanam mentem patri testatori fuisse, nec sub colore, quod pater tempore testamenti conditi fuerit insanus, impugnare posse tabulas in sui contumeliam scriptas,

q) L. 17, 17., D. de Inoff. Testam. Adde GERH. NOODTIVM L. I. de Iurisd. et Imp. Vnde in inscriptionibus L. 7., 23, 31., D., cod. tit. scribendum esse centumviralibus, non septemviralibus, statuunt ANT. SCHVLTINGIVS Not. ad lul.

Paul. recept. Sent. L. IV., T. V., §. 1., ac IOH. FR. GRONOVIUS Obs. LIV., C. XI.

r) L. 8., §. 13., D. de Inoffic. Testam.

s) Hinc etiam audit actio inofficiosi, L. 12. §. ult., L. 7. D. de Inoff. Testam.

ptas, licet iidem caeteroquin secum plorent, quod parens defunctus aut irae, aut inuidiae, aut voluptati adeo lituerit, vt ob dissensum leuissimum, odiumue inueteratum, et ob, ne quid grauius dicam, prohibitam consuetudinem cum delecta ad libidinem muliercula, aliis vero, quod spintur- nicium est, inuisa suos heredes exheredasser. Haec est mens verborum PAVLI, quibus nostram causam aduer- sarii infringere annuntur. Agnitio iudicii vltimi et ad- probatio, cuius meminit iureconsultus, nil aliud, ac re- nuntiationem querelae sine expressam, siue tacitam pro- ducebat. r) Si is animo gestuisset, nobis sistere speciem testa- menti inualidi, quod vero reconualuerat subinsequuta ad- probatione: e re omnino fuisset, vt etiam heredes exhere- datos repulisset vt ab accusatione inofficiosi, ita etiam a quavis actione mouenda contra saeuum codicem pater- num, cuius meminerat. Tantum vero abest, vt id fece- rit, vt potius liberis exheredatis adprobantibus tabulas paternas alia indulserit remedia, quibus eas possent im- pugnare. Ne temere id dixisse videar, audias eundem PAVLVM ita asserentem v), *post legatum acceptum, non tantum licet falsum arguere testamentum, sed et non iure factum contendere: inofficiosum autem dicere non permittitur.* En sinit PAVLVS heredes suos legatum accipientes,

F 3

ac

d) Vid. CORN. VAN ECK *Princ. Infl. de Inoff. Test.*  
*Iur. Ciu. sec. Dig. L. V. T. II.*, v) *L. 5. pr., D. de Her. quae vt*  
 §. 14., EV. OTTO *ad §. 4. indign. aufer.*

ac sic adprobantes testamentum inualidum! En non permit-  
tit'ipsis ob accepta legata impugnare testamentum inofficio-  
sum! En vero iureconsultus iisdem non alia remedia iuris  
denegat! Hisce positis, quis aequo animo feret, si viderit,  
quosdam et nostra aetate in fecus sentientium castra tran-  
sire, ac causae nostrae impugnandae ergo defendere, PAV-  
LVM allatis nobis obiectis verbis lectori reliquisse speci-  
em inualidi testamenti, quod vero ob insequutam adpro-  
bationem reconualuerit in formam testamenti validi? aut  
quis animum inducat suum, vt credat, id, quod erro-  
nee PAVLO adfingunt, generatim dicendum ac exten-  
dendum esse ad quoduis testamentum nullum? Dii me-  
liora, quam vt tales recipiamus interpretationes, quo  
facto facile esset, continuo contrarium eius, quod scrip-  
serunt veteres iureconsulti, qualibet ex lege extor-  
quere.

## IX

AD ALIAM EXCEPTIONEM DESVMTAM EX L. XVII.

D. DE INI. RVPT. RESPONDETVR

Nondum aduersarios dimittimus. Quo maius enim  
scriptis alicuius pretium statuimus, eo magis necessarium  
putamus, indicare errores ipsius, ne propter auctorida-  
tem scriptoris propagentur, simulque fraudi sint imperi-  
tioribus. Argumenti loco vtuntur auctoritate PAPINIA-  
NI. Scribit, fateor, *Filio x) praeterito, qui fuit in pa-  
tris*

x) L. 17. D. de iniust. rupto.

*tris potestate, neque libertates competunt, neque legata praestantur, si praeteritus fratribus partem hereditatis auocauit: quod si bonis se patris abstinuit, licet subtilitas iuris refragari videtur, attamen voluntas testatoris ex bono et aequo tuebatur.* Quae PAPINIANI verba maximi momenti esse, adserunt secus sentientes. Nobis enim, ex ipsorum iudicio, repraesentant testamentum nullum, quod vero, data secundum tabulas bonorum possessione, conualuit, si scilicet filius praeteritus bonis patris abstinuit, id est, omissa actione testamentum paternum, in ipsius damnus, conditum comprobauit. Hanc a PAPINIANO, at quanto iureconsulto! adductam speciem, putant secus sentientes, adeo subruere causam nostram, ut frustra de illa defendenda vterior instituat inquisitio. Quid igitur? an illorum opinioni nos tandem subscribamus? Nil minus. Nam, quod pace virorum doctissimorum dixerim, argumentum e PAPINIANI verbis elicium, ac nobis obiectum, errores continet duos haud leues. Alter in eo consistit, quod dicant, filium praeteritum, dum abstinet patris hereditate, adprobare testamentum paternum. Alter vero eo absoluitur, quod adferant, ex iure, ni ciuili, saltim praetorio, conualescere testamentum nullum, si filius praeteritus se bonis patris abstinerit. Vtroque errore serio iam refellendo, praeuidet, futurum esse, ut in castra aduersariorum non transiens nobiscum defendas causam, de qua nobis sermo.

Eo

Eo maiori vero laetitia ilicet primum in argumento prolato errorem detegam; quo certius est, eo dispulso sententiam meam robur nancisci. Ius abstinendi, quo filius tabulis paternis praeteritus in adducto PAPIANI responso vitur, debent sui heredes Praetorum edictis y). Voluit is heredes suos liberare ab oneribus hereditariis non sponte susceptis. z) Consistebat vero hoc ius abstinendi in sola interposita voluntatis declaratione de hereditate relinquenda aut verbis, aut factis facta. Nil interest, utrum inter praesentes? an inter absentes per epistolam? utrum in iudicio? an extra iudicium heredes sui declarent, se abstinere hereditate. a) Posteaquam vero abstinuit heres suus: Praetor eundem liberabat ab aere alieno patris soluendo, ac ab aliis oneribus hereditariis praestandis b). Quare desinebat iure praetorio heres suus heres esse c).

Vide-

- y) Id pluribus edocuit perill. G. L. BOEHMERVS *Elect. Iur. Ciu. p. 109.* Verba edicti restituit G. RANCHINVS in *Edict. perpetuo*, quod inseruit I. H. SCHMINCKIVS *Syn- tagm. Critic. var. Auct. p. 137.*  
 z) L. 12. D. de *Vulg. et pup. Subst.*  
 a) Existimavit quidem DAVID MEVIUS P. II., *Dec. 143., not. 5.*, heredes suos iure antiquo tantum in iudicio declarare potuisse voluntatem de absti-

- nenda hereditate, adeoque hanc declarationem fuisse actum solemnem. At huius solemnitatis nullum vestigium in iure romano occurrit.  
 b) Exemplum protulit G. BARTHIVS *diff. de benef. abstinendi hered. pater. ad effectum retinendi dotem acceptam.* Est inter eius dissertationes ab ill. GEBAUERO editas secunda.  
 c) L. 12. *pr. D. de Interr. in iure fac.*

B 1773

1779

Videbatur is similis heredi repudianti hereditatem d). Quae vero quum ita sint: patet, solummodo in derelictione hereditatis acquisitae conspici effectum iuris abstinendi. Hoc tunc inprimis adfirmandum esse, opinor, quando cum PAPINIANO fingas, adesse vltimum elogium, quo pater praeterit liberis. Adesse enim tunc, quiuis fatebitur, testamentum nullum, e quo liberis proinde non est hereditas delata. Sunt hi ipso iure heredes sui, ignorantes etiam ac inuiti. Si abstinent bonis hereditariis paternis: derelinquunt hereditatem ipsis non tam testamento, quam potius ipso iure acquisitam. Vides igitur, ius abstinendi, et, quae cum hoc iure est coniuncta, derelictionem hereditatis, inuoluere tantummodo renunciationem iurium suorum, minime vero adprobationem testamenti illius, quod vitis scater.

Quid? quod et tunc secus sentientes errant, quando contendunt, iure ciuili testamentum nullum reconualescere, si liberi praeteriti abstineant hereditate patris. Constat enim inter omnes, beneficium abstinendi, ad quod liberi praeteriti, hereditatem paternam repudiaturi, confugere possunt, a praetore esse introductum. Vulgata vero est regula e), praetorem iuri ciuili derogare non posse. Annon vero is derogaret iuri ciuili, quando

G do

d) L. 20., §. 4. D. de Acq. vel o- mit. hered. e) L. 1., §. 1., D. de Feriis.



do iure abstinendi a se excogitato efficeret, vt, quod ius ciuile improbat, testamentum nullum reconualescat in formam testamenti validi? Nec est, quod vrgeatis, necessitatem institutionis in fauorem liberorum introductam, reliquas vero solemnitates, in condendis testamentis adhiberi solitas, ob vtilitatem publicam adiuuentas esse. Hinc dubio carere, clamitatis, liberos praeteritos huic in ipsorum fauorem introducto iuri renunciare posse, ac sic ob hanc interuenientem renunciationem, quae absolueretur iure abstinendi, testamentum nullum, iure ciuili, reconualescere f). Perperam hoc adfirmatis. Licet enim concedamus lubentes, constitutionem istam, quae vult, vt sui heredes non praetereantur in testamento paterno, in fauorem liberorum esse introductam: tamen non sequitur, liberos, dum abstinent hereditate patris, huic in ipsorum fauorem introducto iuri adeo renunciare posse, vt hac iurium suorum renunciatione reconualescat testamentum, quod est ipso iure nullum. Nam nemo potest sua renuntiatione aut iuris solemnia mutare, aut peruertere formam actus. Licet solemnia haec respiciant fauorem singulorum: tangunt vero ea et ius publicum, quod vero priuatorum placitis mutari non posse, docuimus.

At

f) Hoc argumento vtitur I. SCHARDVS ad Rubr. C. i. de Lib.

pract. n. i. et 2.



B 1773

1779

At saltim iure praetorio testamentum nullum conualescere, putant g), quando hères testamento paterno praeteritus abstinet hereditate impii patris. Nam PAPINIANVM dixisse, audiimus, *quod si bonis se patris abstinuit, licet subtilitas iuris refragari videtur, attamen voluntas ex aequo et bono tuebitur.* Quis vero aliquid contra haec verba effutiret? Me adinuenisse, laetor, PETRVM FABRVM, qui quasi solus in occipitio oculos habuit h), et quo duce hunc mihi aduersum iuris nodum, ac aenigma legis soluam. An feliciter, iudica? Nullus quidem nego, PAPINIANVM loqui de iure praetorio. Formula enim, qua vitur, ex aequo et bono iuri praetoris conuenit i), ac verbum tueri fere semper ad Praetorem refertur k). At vos, qui nostrae causssae obiicitis PAPINIANVM, vos interrogo, vnde, quaeso, vnde probabitis, iureconsultum allatis verbis indicasse, filio praeterito supremum patris elogium adprobante, reliquos

G 2 fra-

g) Ita IOH. AVERANIUS *Interpret. Iur. L. I. C. XI.* G. SCHWEDER *de Agnit. et Adprobat. ult. volunt. defuncti, §. 30.* Si hi famae hilarioris viri ita hanc legem explicant: mirari non debemus, quando alii, in solo Bartolo inhaerentes, idem statuunt. Euoluas, si placet, M. BERLICHII *P. III., Concl. XVI., n. ii. sq.*, B. CAPZOVII *Iurispr. Def. P. III., C. X., D.*

I. S. STRYCKII *de Succ. ab Int. Disp. IX., C. IV., §. 19.*, et *Tr. de Caut. test. C. XXIV., §. ii.*  
 h) Vid. Ipsius *Coniect. L. IX., C. XIV.*, et *de Error. pragmat. Dec. XIII. Err. III.* Ei ad stipulatur H. HUNNIVS *Ref. I. Ciu. Lib. II., Tr. V., p. 431.*  
 i) *L. 71., §. 2. D. de Leg. I.*  
 k) *L. 1. §. 1. D. de Superfic.*



fratres institutos ad praestanda legata ac concedendas libertates obstrictos teneri non secus, ac si testamentum validum adesset? Meo potius iudicio PAPINIANVS verbis mihi obiectis id innuere videtur, libertates competere, et legata ex aequo et bono praestanda esse, at non ex testamento, quod nullum est, sed ab intestato, quum bonis patris filius praeteritus se abstinerit, nec portionem fratribus, ob testamentum nullum succedentibus ab intestato, auocauerit. Rationes, quibus adductus hoc contendam, tecum communicabo. Sifit nobis PAPINIANVS filium praeteritum, qui abstinuit hereditate patris. Hic vero non poterat abstinere a hereditate testamentaria, utpote erat tabulis supremis paternis praeteritus. Abstinuit ergo ab hereditate ab intestato, ipso iure illi delata. Accedit et hoc, quod, licet praetor multa facere potuerit, attamen in ipsius potestate non erat, quicquam facere, aut permittere contra leges, sed eatenus tantum, quatenus per leges liceret, nec prohiberetur. Hinc is, si praeteritus aderat heres suus, dabat bonorum possessionem vnde liberi l). Scimus vero, bonorum possessionem vnde liberi solummodo dari ab intestato, nullis tabulis exstantibus m). Ergo, si talis filius, qualem nobis sifit PAPINIANVS, adesset, puta praeteritus, et bonis paternis abstinens, succedi non poterat ex testamento, sed ab intestato.

Si

l) *L. ult. D. de Lib. et post. l. 1.* m) *L. 1. §. 1. eod. Add. Coll. Iur. D. Si tab. testam. null. exstab. Mosaic. et Rom. Tit. ult. §. 5.*

Si vero adest successio ab intestato, dum filius praeteriebatur, ac abstinebat a patris hereditate: sequitur, tunc ultimam patris voluntatem inualidam nec in formam testamenti validi reuiuiscere potuisse. Atqui. Ergo. Nec obstat, quod *voluntatem testatoris ex bono et aequo tuendam esse*, dicat iureconsultus. Etenim ab intestato conseruari legata, aut indulgeri liberrates, quae testamento, licet inualido, relinquebantur, nouum quidem, at nec praetorio, nec ciuili, iure absurdum erat. Nam Praetor et in aliis speciebus ita edixisse videtur n) si quis, ommissa testamenti causa, ab intestato hereditatem partemue eius possideat, quo eos circumueniat, quibus quid ex iudicio defuncti deberi potuit, in eum causa cognita actionem dabo. Quid? quod toties ius ciuile suadebat, vt is, qui ommissa causa testamenti succedebat ab intestato, restitueret legata, quae in tali testamento inualido erant relicta: quoties aut aderat fauor legatarii, eiusue rei, quae erat relicta o); aut quoties heres, a quo legata et fideicommissa data sunt, tantundem ab intestato consequatur nil obstante fratris praeteriti persona, quantum si solus e testamento heres fuisset. Id quod accidebat in specie a PAPINIANO relata, ac nobis obiecta. Nam ea paullo curatius considerata videbis, ea propter iureconsultum statuisse, voluntatem testatoris

G 3

toris

n) Vid. *Ort. WESTENBERGII testam. §. 2.*  
*Dig. tit. Si quis ommissa causa* o) *L. 38. D. de Fideic. Libert.*

toris ex bono et aequo tuendam, seu libertates et legata ab heredibus ab intestato danda, quoniam hi, dum frater praeteritus partem non auocans iure suo non vitur, lucrum iniustum obtinerent p) contra naturalem aequitatem, quae res alioquin exceptionem doli mali inducere solet q).

## X

SISTIT DIVERSOS EFFECTVS DE TESTAMENTO PER SE VALIDO AC DE TESTAMENTO PER ACCEDENTEM CONVENTIONEM CONFIRMATO

Quid refert, interrogare te audio, quid refert, vtrum heredes scripti hereditatem sibi vindicent e testamento nullo, quod vero adprobarunt heredes ab intestato? an vero ex testamento nullo reuiviscente per initam transactionem? Multum referre, paucis ostendam.

Si heredes interponenda adprobatione facere possent, vt testamentum nullum reconualesceret in formam testamenti validi: sequitur, id ipsum testamentum tunc ipso iure subsistere. Hinc, quam in eo tulit testator, legem curate heredes scripti seruare deberent. Ne hiscere eorum quisquam auderet, etiamsi maximam hereditatis partem legatis exhaurisset; aut sub conditione, in diem, sub modo, causa, demonstratione legasset; aut tanquam alter Staberius r) summam sepulcro incidere iussisset heredes,

Ni

p) Ita in specie non prorsus dif-  
simili VLPPIANVS respondebat

L. 14. D. de legat. praest.  
q) L. 1. D. de Dol. Exe.

Ms 1773

1779

*Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum  
Damnati populo paria; atque epulum, arbitrio Arri;  
Frumenti quantum metit Africa. - -*

Pro iure legitimo tunc erit hominis talis inepte stulti voluntas ultima. At si testamentum, quod scetet vitiis, confirmatur ob insequutam conuentionem initam de supremo defuncti elogio seruando: tunc non tam attendi solet, quid placuerit testatori, quam potius obseruari debent fines constituti a transigentibus, quos non transfiliisse; iura iubent.

Si testamentum, de quo egimus, reconualesceret: hereditatem tunc esse delatam ex forma iuris publici, quis dubitaret? Hanc proin insequeretur aditio valida, omnes illos effectus producens, quos alias ab aditione expectamus) s). At secus dicendum, quando adest testamentum nullum, cui accessit transactio, aut alia quaedam conuentio. Non enim hoc sortitur effectus ab aditione expectari solitos.

Pone, adesse testamentum nullum, quo conspiceretur substitutio pupillaris a patre facta. Si id ob interuenientem adprobationem heredum ab intestato reconualluisset: subsisteret suis viribus. Quum vero vi patriae potestatis hae tabulae conditae sint: mater, licet legitimam

non

r) HORATIUS *Sat. L. II., Sat.*  
3., v. 83.  
s) Optime hos indicauit IOH.

CASP. GOETHE *Elect. de A-*  
*dit. Heredit. C. 1.*



non obtineat, eas inofficiosas non dicit t); nisi quod aequitas suadere videatur, ut matri salua iudicetur legitima e bonis filii aduentis v). Si vero eiusce generis testamentum eapropter reuiviscit, quod tutor id transactione alioue pacto adprobavit: crederem, matrem exheredatam recte desiderare legitimam. Nam pater filio non iure fecit testamentum pupillare, tutor vero matri, interposita adprobatione, adimere non potuit portionem ipsi a legibus debitam.

Tandem, ut alia taceam, si testamentum nullum reconualesceret: heredes scripti creditoribus hereditariis tenerentur obligati, reliquis heredibus securis, quos iura ad successionem vocassent, ni intercederet adprobatio ab ipsis interposita. At, testamento nullo ob transactionem interpositam valituro, transactio x) creditores hereditarios impedire nequit, quo minus in solidum experiantur adversus heredes legitimos, si modo docuerint

vitia in omnium oculos cadentia.

t) *L. 8., §. 5. D. de Inoff. Test. Iungas IOH. ALTHUSII Di- caeolog., L. I., C. XLVIII.*

v) Vid. praeter ORT. WESTENBERGII *de Port. Legit. Diff. II., C. III., §. 6.* I. W. de GOEBEL *diff. de Substit. pupill. a Germ. non exclusā, C. I., §. 23.*

x) Evoluas, si placet, IOH. VOETII *Comm. ad Dig. tit. de*

*Transact. §. 22.* An vero legatarii et creditores, etiam vtili actione, ex *L. 14. D. de Transact.*, conveniri queant, lis est. Vid. GERARD. NOODTIVM *de Pact. et Transact., Cap. XXII.* IOH. van de WATER *Obs. Iur. Ciu. p. 1.* GVIL. BERTIVM *de Emend. legum, C. IV.*

131773  
1759

PRAENOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO  
DOMINO  
GEORGIO FRIDERICO MAACKIO,

HAMEVURGENSEI,

S. P. D.

D. FRANCISCVS DOMINICVS HAEBERLIN,

SERENISS. DVCS BRVNSVICO-LVNEBVRG.

CONSILIAR. IVSTITIAE INTIMVS,

ET IN ACAD. HELMSTAD. ANTECESSOR

PRIMARIVS.

*Alter iam labitur annus, cum in alma mihi semper Aca-*  
*demia Georgia Augusta, vnica et felicissima studio-*  
*rum meorum matre, quam post viginti quatuor annorum*  
*absentiam, negotii cuiusdam mihi clementissime demandati*  
*gratia, tum aliquando reuisebam, optimosque olim Prae-*  
*ceptores et veteres Amicos probatos resalutabam, TE, ex ca-*  
*rissimi TVI Patris voluntate, primum noscere, mihi conti-*  
*git. In TVI amorem me mox rapuisti suavi, quam in TE*  
*deprehendi, morum elegantia animique candore, quem pari-*  
*ter in TE laudabant Amici mei Goettingensis, qui TE a*  
*longiori tempore cognoscebant. Nec spes de TE concepta me*  
*fefellit, postquam TV, Praenobilissime Domine MAACKI,*  
*paullo post in almam nostram Iuliam Carolinam TE contule-*  
*ras, coeptum Goettingae Iuris, quem vocant, cursum a-*  
*pud nos absoluturus. Per omne enim illud temporis spatium,*  
*quod*

quod Helmstadii consumpsisti, honeste, secundum Legum academicarum normam et praeclara diligentiae laude vixisti, publicaeque ac privatae sedulitatis specimina edidisti. Solertem atque attentum Auditorem egomet ipse TE obseruavi in Praelectionibus meis in Doctrinam Iurisprudentiae Imperii nostri publicam, et adoesperare queam, TE fructus haurientes e meis acrosibus collegisse. Egregiam vero TVAM in omni Iure scientiam mihi non modo, sed etiam uniuerso nostro Ordini demonstrasti in praeuio Tentamine pariter ac Examine rigoroso, quod Collegium nostrum TE cum instituit, viresque TVAS explorauit, num dignus sis, cui petita Licentia, ad summos in viroque Iure honores adspiciendi, tribueretur. Dignum TE ea iudicauimus, illam TIBI, post habitam Disputationem publicam, ex unanimi Facultatis consensu, mox impertiet Coniunctissimus meus Collega, Ill. EISENHARTVS. Igitur mihi iam nihil superest, quam ut TIBI tam laudabilem et honorificum vitae TVAE academicae finem ex animo gratuler, atque optem, ut honor, quo mox condecoraberis, varia prosperitatis genera TIBI efficiat. De cetero certus velim sis de perpetuo meo in TE amoris affectu, meque pariter amare perge. Dabam in alma Iulia Carolina, quae Helmstadium ornat, a. d.

XXXVII. Decembris, A. C. c1o 1o CCLXXI.

NOBI-



131773  
1779

---

NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO  
GEORGIO FRIDERICO MAACKIO,

S. P. D.

P R A E S E S.

---

*hodie*  
**T**IBI mihique *maximo gaudio est.* *crastinus dies,* ORNATISSIME MAACK,  
*est sua natura perquam optabilis.* TIBI quidem, quod ad  
finem perducto litterario TVO Goettingensi et hac nostra litte-  
rarum vniuersitate decursu TE potes probare Fautoribus TVIS  
atque magistris non indignum beneuolentia et institutione  
eorum alumnorum: mihi vero, quod TIBI ex animo bene cu-  
pio, et ex alba hac die laeta TVAE felicitatis omnia capio.  
Rata eadem Deus esse iubeat: sic enim certus scio, fore, qui

non

*Adis tui*  
non contemnendos fructus doctrinae TVAE, honestatis, integritatis et sollertiae obtineas. Si haec omnia mox accidunt, propterea, quod TVA omnia ad me vel maxime pertinere sentio, inpensus laetabor. Vale. Scrib.

Helmstad. d. XXVIII. Dec.

cIs Is CCLXXI


---

---

*[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

X 2396279





1771, 3  
3, 470.  
MM

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
TESTAMENTO  
NULLO INSEQUUTA HEREDVM  
AB INTESTATO ADPROBATIONE  
NUMQUAM IN FORMAM TESTAMENTI  
VALIDI RECONVALESCENTE

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDIO  
D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII  
IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN VTROQUE IVRE CAPESSENDI  
HONORES  
AD D. XXX DECEMBER. CIOIOCCCLXXI  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
PVBLICE ERVDITORVM DISQVVSITIONI  
S V B M I T T I T  
AVCTOR  
GEORGIVS FRIDERICVS MAACK  
HAMBVRGENSIS  
HELMSTADII

LITTERIS VIDVAE P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.